



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Rejicitur prima sententia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ARTICULVS IV.

Utrum retributio meritorum in Deo sit actus propria & stricta iustitia: & quoniam illa sit, commutativa, vel distributiva?

77. Titulus supponit plures dari species strictæ & rigorosæ iustitiæ: nempe iusticiam legalem, quæ respicit bonum commune, & æqualitatem non exhibendam alicui personæ particulari, sed reipublicæ; distributivam, quæ pertinet ad superiorem distribuente bonum communia personis particularibus; & commutativam, quæ respicit æqualitatem rei ad rem inter personas privatas, v.g. æqualitatem quæ debet servari in emptione & venditione, in conductione & conventionne, & sic de aliis contractibus. Supponit etiam, dari plures species iustitiæ largæ & improprie sumptæ, quæ partes potentiales iustitiæ appellari solent, quia imitantur quidem & æmulantur rationem iustitiæ, ab ea tamen deficiunt, vel quia non possunt reddere æquale, vel quia non habent debitum rigorosum & legale, sed morale tantum, quod attenditur secundum honestatem quandam & decentiam, non verò secundum legis obligationem. Ad hoc genus iustitiæ pertinent virtutes quæ sunt ad alterum, v.g. religio, quæ respicit cultum Dei; observantia, quæ respicit superiores; pietas, quæ respicit parentes; gratitudo, quæ respicit benefactores, & intendit recompensationem exhibere pro collatis beneficiis; & fidelitas, quæ intendit servare fidem in verbis, & adimplere promissa. His præmissis,

78. Difficultas est & controversia inter Theologos, à qua ex illis speciebus iustitiæ procedat retributio meritorum in Deo, an à iustitia commutativa, vel distributiva, quæ sunt species strictæ & rigorosæ iustitiæ, vel à gratitudine aut fidelitate, quæ sunt species iustitiæ improprie & largæ sumptæ, seu partes potentiales iustitiæ.

Prima sententia tenet præmium non reddi meritis à Deo ex stricta iustitia commutativa, vel distributiva, sed solum ex fidelitate, vel gratitudine. Ita Vazquez hic disp. 2. 1. 5. cap. 1. & sequentibus; Lorca disp. 44 & Cravins art. 1. huius quæst. concl. 3. num. 6. Secunda, quam docet Suarez in opuscul. de iustitia, & lib. 12. de gratia cap. 30. asserit illud reddi ex iustitia commutativa, quam dicit esse formaliter in Deo, seclusis imperfectionibus. Tertia, quæ mediat inter utramque, & quæ in Schola Angelica communis est, fatetur retributionem meritorum in Deo esse quidem actum propriæ & strictæ iustitiæ, non tamen commutativæ, sed solum distributivæ, habentis modum aliquem seu similitudinem commutativæ iustitiæ. Unde sit

§. I.

Rejicitur prima sententia.

79. Dico primò, redditionem præmij pro meritis in Deo esse actum iustitiæ, non verò gratitudinis, aut fidelitatis.

Probatur primò ex illo 2. ad Timoth. 4. Repetitum est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Domi-

A nus in illa die iustus iudex: quod enim datur per modum præmij & coronæ, & à Deo ut iusto iudice, datur ex iustitia, non verò ex gratitudine, aut fidelitate. Unde D. Thomas ibidem lect. 2. inquit: Corona iustitiæ dicitur, quam Deus ex sua iustitia reddit. Et S. Augustinus tract. 3. in Joann. verba illa Apostoli expendens: Iam debitum flagitat (inquit) iam debitum exigit: ut ante susciperet gratiam, misericordem patrem opus habebat; ut præmium gratiæ, iustum iudicem.

Confirmatur ex Apostolo ad Hebræos 6. d. 2. cente: Non est iniustus Deus, ut obliviscatur operi vestri: si enim ex sola fidelitate Deus mercedem bonis operibus debitam retribueret, Apostolus non diceret: Non est iniustus Deus, ut obliviscatur operi vestri, sed diceret, non est infidelis, ut sui verbi, vel suæ promissionis obliviscatur: Ergo non ex fidelitate, sed ex iustitia, Deus reddit præmium meritis nostris. Unde Augustinus de natura & gratia cap. 2. ait: Non est iniustus Deus, ut iustos fraudet mercede iustitiæ.

Confirmatur ampliùs ex Tridentino sess. 6. 81. cap. 16. ubi cum promissiones divinas, factas operibus iustorum, retulisset ex sacra Scriptura, subdit: Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita eterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsis Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda: hæc enim est illa corona iustitiæ, quam post suum certamen & cursum reposcam sibi esse debet Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam. Ubi Concilium duos titulos, & rationes distinguit sperandi beatitudinem, scilicet ut hæreditatem filiorum, & ut coronam iustitiæ; & juxta illos, duas etiam videtur promissiones docere: una est quæ promittitur ut gratia, id est, ut hæreditas gratiæ debita, juxta illud: Si filij, & heredes; alia quæ promittitur ut merces, seu ut corona iustitiæ: Ergo sentit Concilium, ex posteriori promissione, quæ est sub conditione operum, majus iustitiæ debitum, quàm ex priori simplici & absoluta promissione resultare: unde cum ex priori oriatur fidelitatis debitum, necesse est, ut ex posteriori, conditione operum impleta, stricta iustitiæ obligatio nascatur.

Probatur secundò ex D. Thoma hic art. 1. sic 82. dicente: Meritum & merces ad idem referuntur; id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis, vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius: unde sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo, est actus iustitiæ, ita etiam recompensare mercedem operi vel labori, est actus iustitiæ. Ubi iustitiæ actum non sumi pro actu gratitudinis manifestum est: nam quod ex gratitudine datur, non datur ut merces, nec est quasi pretium. Unde idem S. Doctor supra quæst. 2. art. 3. ait: Meritum & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quæ fit secundum iustitiam. Et 1. contra Gent. cap. 93. concedit esse in Deo iustitiam, sicut liberalitatem & prudentiam: Sed prudentia & liberalitas sunt proprie & formaliter in Deo: Ergo & iustitia.

Probatur tertio conclusio: Licet id quod est 83, debitum merito, possit reddi ex fidelitate, si sit promissum; aut ex gratitudine, si detur in recognitionem beneficii recepti, quatenus tamen est debitum merito ut tali, tanquam præmium scilicet, coronæ, & merces formaliter, non redditur ex fidelitate aut gratitudine: cum quia neutra ex illis virtutibus hanc rationem forma-

liter

licet respicit: cum etiā quia si quod redditur ex fidelitate, esset premium & corona, sequeretur quod incarnatio, quæ ex fidelitate promissio- num divinarum fuit data antiquis Patribus, & remissio peccatorum, quæ peccatori se conver- tenti datur ex fidelitate divinæ promissionis, essent premium, merces, & corona iustitiæ: quod dici nequit, cum utraq; sit purè gratui- ta, & non possit cadere sub merito, solum de- condigno, ut infra patebit. Similiter si quod da- tur ex gratitudine, premium esset, munera quæ in gratiarum actionem Deo offerimus, haberent rationem præmij & coronæ, quod etiam absur- dum est: Ergo id quod est debitum ex merito, quatenus tali, non nisi ex iustitia redditur.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Cum vita æterna sit magis debita operibus me- ritoris iustorum, quam prima gratia remissiva peccati operibus ad eam disponentibus, quia illa datur ut premium & corona, hæc verò me- re gratis, & tamen prima gratia sanctificans disponenti se datur ex fidelitate divinæ promif- sionis, ut patet ex illo Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; manifestum est quod vita æterna alio titulo debetur operibus meri- toris iustorum, quam fidelitatis, subindeque quod ex iustitia stricta & rigorosa obligatur Deus eam reddere iustis: præsertim quia ex promissione acceptata sub conditione operis æ- qualis, oritur obligatio ex vera iustitia, ut patet in obligatione reddendi denarium, conventio- ne facta cum operariis, sub conditione laboran- di in vinea. Unde cum Deus promiserit iustis vitam æternam, sub conditione bonorum ope- rum, quæ ratione gratiæ & charitatis à qua pro- cedunt, habent æqualitatem seu proportionem cum vita æterna, ut infra ostendimus, ex illis (supposito tali pacto seu promissione) oritur in Deo obligatio strictæ iustitiæ, ad remuneranda bona opera iustorum, ex gratia & charitate pro- cedentia.

§. II.

Eadem veritas aliâ ratione suadetur.

Potest etiam suaderi conclusio, demonstan- do virtutem gratitudinis non posse reperiri in Deo, subindeque nec retributionem præmij pro meritis hominum ab illa procedere. Sic ergo potest hæc ratio breviter proponi. Virtus gratitudinis non reperitur in Deo: Ergo retri- butio præmij pro meritis iustorum, in Deo non est actus virtutis gratitudinis. Consequentia pa- tet: Antecedens probatur primò. Virtutes quæ respiciunt alium ut superiorem & excellentem, Deo repugnant; unde in illo non possunt esse religio, pietas, aut observantia, ut omnes faten- tur: Sed gratitudo respicit alium, nempe bene- factorem, ut superiorem & excellentem; quia ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 106. art. 3. *Benefa- ctur in quantum huiusmodi, est causa beneficii*. & ideo beneficiatus ad benefactorem converti- tur ut ad principium suum, ut ibidem subdit S. Doctor: Ergo virtus gratitudinis non potest in Deo reperiri formaliter.

Secundò: Obiectum gratitudinis est benefi- cium ab alio acceptum: Sed Deus nullum po- test recipere beneficium à creaturis; cum sit sibi sufficiens, & nullius boni indigens, ut declarat Prophetæ Ps. 135. dicens: *Ego dixi Deus meus es tu,*

A quoniam bonorum meorum non eges: Et Psal. 49. Deus Deus tuus ego sum, non accipiam de domo tua vi- tulos, neque de gregibus tuis hircos, &c. Meus est enim orbis terræ, &c. Ergo virtus gratitudinis non po- test esse in Deo.

Neque valet si dicas, Deum posse recipere gloriam à creaturis, quæ est aliquod bonum ipsi extrinsecum, quod respicit quali beneficium sibi collatum, & quali cedens in proprium bo- num & utilitatem. Cum enim quicquid crea- tura potest facere in gloriam & obsequium Dei, pluribus titulis ipsi debitum sit, nempe titulo creationis, titulo conservationis, & titulo innum- erabilium donorum quibus creaturam ratio- nalem afficit, perficit, & cumulat, non potest ha- bere rationem doni seu beneficii Deo præstiti, sed ad summum est obsequium & servitium illi debitum. Unde Christus Lucæ 17. ait: *Cum fe- ceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inu- tiles sumus.* Quibus verbis evidenter nos instruit, ut non solum nos aliquid Deo consulisse, aut dig- nos aliquâ Dei gratitudine, propter servitia il- li exhibita reputemus, sed potius nos servos in- utiles esse sentiamus. Unde egregie Bernar- dus: *Cum ei donaveris quicquid sum, quicquid pos- sum, nonne istud est, utam sicut stella ad solem, gutta ad fluxum, lapis ad montem, grana ad acervum?* Non habeo nisi minutum duo, imò minutissimæ, corpus & animam, vel potius animum minutum, voluntatem meam; & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit; qui toto- rum me sibi comparavit.

Tertiò probatur idem Antecedens: Dominus non potest servo ex gratitudine obligari: Sed homo ratione creationis, & conservationis, & pluribus aliis titulis, Dei servus est: Ergo Deus non potest ex gratitudine homini obligari. Quam rationem inlingat D. Cyrillus, relatus à D. Thoma in catena aurea, in illud Lucæ 17. *Servi inutiles sumus.* Considera (inquit) quod quæ apud nos dominantur, non reserunt gratias, cum ali- cui subditorum statuta sibi prosequuntur obsequia, &c.

Dices: Inter homines posse Dominum ex gratitudine servo obligari: nam D. Thomas 2. 2. quæst. 106. art. 3. ad 4. docet cum Seneca lib. 3. de beneficiis, quod quamdiu servus præstat quod à servo exigi solet; ministerium est; ubi plusquam à servo necesse est, beneficium est; & ideo servus ultra de- bitum facientibus, gratia sunt habende. Ergo pari- ter, licet homo sit Dei servus; sitamen opere- tur ultra id quod tenetur, præstat beneficium Deo, & ex parte Dei aliqua gratitudo corre- spondere potest.

Sed hoc facile potest confutari: In primis enim ex hac solutione sequitur quod solum o- pera bona supererogationis, & quæ cadunt sub Consilio sint meritoria apud Deum; non verò quæ cadunt sub præcepto; nam solum in elicien- dis operibus supererogationis, verificatur ho- minem facere ultra id quod tenetur: Sed hoc est absurdum: cum enim ea quæ cadunt sub præcepto, procedant ex virtute obedientiæ, quæ tribuit specialem rationem meriti, magis sunt meritoria, cæteris paribus, quam ea quæ cadunt sub consilio: Ergo, &c.

Deinde servitus hominis ad Deum, longè al- tior est & major, quam servitus hominis ad ho- minem: nam homo licet ut servus alterius ho- minis sit inferior illo, tamen ut homo, est illi æqualis; unde non est sub dominio ejus quoad vitam & membra, nec quoad omnes omnino a- ctiones,